

3

Εὐὸ Θεῶν

DISPUTATIONUM

ACROAMATICARUM

TERTIA

DE

PRINCIPIIS

RERVM NATVRA-

LIVM SECVNDVM SENTEN-

tiam Veterum, è Cap. 1. 2. 3. & 4. lib. 1. Phyf.

Quam

In Illuftri Academia Jenenfi

PRÆSIDE

M. MICHAELE WOLFFIO

Professore Publico.

Pro viribus publicè tuebitur

JOHANNES GEORGIUS RÜD

RATISBONENSIS.

Ad d. 25. Apr. horis matutinis in aulegial majari.

Macrob. lib. 1. Saturn. in init.

*Et boni confulas oportet, si notitiam vetustatis modo nostris non ob-
scure, modo ipsis antiquorum fideliter verbis renoscas, prout quæq; se vel
enarranda vel transferenda suggesserint.*

J E N Æ

Imprimebat Johannes VVeidner.

Anno clō lō cxviii.

210/519

TMd045

260





Præstantissimis, eruditionis
multijugæ laude morumque comitate
cumulatissimis,

VIRIS. JUVENIBUS:

Dn. JOHANNI OBERNDORFFERO
Graciâ Styro.

Dn. GEORGIO GUMPELZHAIMERO
Lynzio. Austrio.

Dn. JOHANNI EPPINGERO
Ratisbonensi.

Dn. THOMÆ SCHWINDPERGERO
Austrio.

Dn. JOHANNI SIMERLINO
Ratisbonensi.

Dn. GEORGIO GEWOLFIO
Ratisbonensi.

Juris cultoribus solertissimis.

*Dn. Factoribus, Amicis & respectivè sympatriotis plurimum
honorandis.*

In

Amoris & observantiæ *τεκμηρίον*

Inscribit

Respondeus.



Ad Eruditissimum Dn. Respondentem
Amicum veterem & singularem.

Ceu Leo magnanimus vi magnâ, & robore magno
Pugnat, & absistit nunquam, sed sapius instat
Sapius invadens infesta animantia, donec
Omnia conculcet, dum fortiter omnia vincat:
Sic & ad exemplum cœptum, laudabile cœptum,
Egregium R Ū D I pars ô mea maxima cordis!
O & Apollinei virescens gloria cœtus?
Urges, rursus adis certamina magna *Theatri*
Philosophorum ampli, cum laudis adoreâ avitæ.
Differis, & verum à falso discernis ad unguem
Calles, V I R T U T I S media procedere meta
Et pluteum cœdis, demorsos & lapis ungues,
Naturæque vices varias vireisq̄ue latentes
Scis benè; scis pulchrè quid distent æra lupinis.
Improbis hic perstet posthac labor! aeriter instat
Cœptis tu studiis, & opus memorabile tractat:
Crede mihi fructus tribuet D O C T R I N A suaveis
Et tribuet laudem V I R T U S victura perennem;
Crede mihi! Famam dabit A R S, dabit ipsa decentes
U R B S P A T R I T A olim, cum plausu maximo, H O N O R E S.

Lmq; fac.

Stephanus Donaverus Ratisbon.
SS. Th. Studiosus.



Ad Eruditionem Dni. Alphonsum

Alphonsum...
Omnis...
Sicut...
Ergo...
Uterque...
P...
D...
C...
E...
I...
S...
I...
C...
C...
E...
I...
C...
I...

22. Th. Augustini
Jacobus Bonaventura Ratisbona



DISPUTATIONUM
ACROAMATICARUM
TERTIA
DE PRINCIPIIS RE-
RUM NATURALIUM SECUN-

dum sententiam veterum, è Cap. 1. 2. 3. & 4. lib. 1. Physf.

Publicè Respondente

JOHAN. GEORGIO RÜDIO Ratisbonensi.

THESIS I.

Duo sunt Scriptorum genera, ut Gellius lib. 20. Noct. Att. c. 4. annotavit, quæ Aristoteles discipulis suis tradidit: unum ἐξωτερικόν extremum; alterum ἀνεργαμάλινόν auscultativum. Illo proponebantur ea, quæ ad rhetoricas meditationes & civilium rerum notitiam pertinebant; hoc v. remotior & subtilior philosophia agitabatur, quæ naturæ contemplationes uti & Theologiae Naturalis sive Philosophiæ primæ concernebat.

2. Et ad hoc posterius genus quod libri physicorum octo referendi sint, vel ipsum nomen duntaxat indicat. Cur autem ab auditu nomen acceperint, propterea factum esse arbitramur, quia ijs potissimum scripti erant, qui Aristotelem docentem audiverant.

3. Etenim si Gellio credendum est loco citat. cum Alexander M. literis ad Aristot. missis librorum horum divulgationem agrè tulisset: Philosophus hoc responsi dedit, libros eos editos esse & non editos. Editos quidem illis, qui auscultationi interfuissent, non editos, qui abfuissent.

4. Ut ita abstractum pro concreto, ipsa puta auscultatio pro sermone, cui discipuli Aristotelis aures præbebant, fuerit positum. Sed quaesiverit quis non immeritò, cur hi soli nomen ἀνεργαμάλινόν ἀνεργαμάλινόν adepti sint, non verò & ceteri, qui sunt de Cælo, de Ortu & Interitu, &c.

5. Hujus duplex ratio reddi potest, quarum una, quia ijs continentur ea quæ communiter omnibus rebus naturalibus insunt; altera quia ejusmodi stilo adornati sunt, ut difficulter sine adminiculo viva vocis intelligi queant.

D

6. Quamvis

Partes li-
bror. 8.
Phys. duæ.

6. Quamvis reperias in nonnullis Codicibus titulum $\omega\epsilon\iota\ \tau\omega\upsilon$
 $\delta\epsilon\chi\omega\upsilon$, qui specialior est respiciens priorem partem librorum
8. Phys. quæ est de principijs. Adhuc enim inibi de generalibus corporis nat.
affectioibus agitur, uti in progressu videbimus.

Cap. I.

7. Ceteram quoniam in omni methodo sive scientia, quæ agit de
principijs vel causis vel Elementis, cognitio ex horum notitia proficiscitur:
perspicuum est idem quoque hic tentandum esse, nimirum ut primum defi-
niantur ea, quæ ad principia naturalis scientie pertinent. Text. 1.

8. Nam ut etiam constat è lib. I. post. Anal. C. 2. tunc putamus
unumquodq; cognoscere, cum causas primas & principia prima, h. e. proxi-
ma usq; ad Elementa, h. e. principia remotissima cognoverimus. Ibid.

Notiõra
sunt du-
plicia.

9. Naturaliter autem constituta est via, ab ijs, quæ nobis notio-
ra sunt progredi ad ea quæ τῆ φύσιν clariora sunt. Non enim existiman-
dum est eadem prorsus esse τὰ ἡμῶν γνωριμώτερα nobis notiora &
τῆ φύσιν naturâ Text. 2.

10. Sunt v. nobis notiora συγκεχυμένα confusa, ut
universalia: prius enim cognosco aliquid esse corpus vel animal, quam ho-
minem: naturâ v. ipsa elementa & principia, siquidem dividenti confusa,
E. g. compositum sensibile, demum principia è quibus constat innotes-
cunt. Text. 3.

11. Quocirca ab universalibus ad singularia progrediendum est:
totum enim cuiusmodi est universale, quod multa sub sese tanquã partes
comprehendit, secundum sensum magis notum est. Text. 4.

12. Id quod inde quoque videre est: quia quæ causa quod citius
cognosco definitum, e. g. quid hoc nomen circulus significet, quam defini-
tionem circuli? certè nulla alia, quam quod definitum ἀδιορίτως inde-
finitè totum significat; definitio v. ejus in singulas partes dividit. Ibid.

Object.

13. Videtur hoc vero non esse consonum, & quidem, si prius dicta
consideraverimus, ea propter, quia in definitione qualibet occurrit genus,
quod universalius esse oportet definito: universale a. uti jam dictum, notius
quam particulare.

Solut.

14. Verum in promptu est responsio: aliud enim, si spectemus genus
secundum se, aliud prout est tale, puta pars definitionis. Priori modo ne-
gandum non est genus nobis esse notius definito; sed posteriori non item.
Sic animal secundum se nobis est notius quam homo, verum quod animal
sit pars definitionis hominis, id nobis obscurius.

15. Ad

15. Ad summam: confusa, qualia sunt universalia, nobis esse notiora, testari possunt pueri, ut qui primum omnes viros appellant Patres, & omnes mulieres Matres; postea v. horum utrumq; discernunt & determinatè cognoscunt. Text. 5.

16. Quæ cum ita sint, age exordiamur à principijs. Necesse autem est aut unum esse principium, aut plura. Si unum, illud vel immobile erit, ut opinantur Parmenides & Melissus, vel mobile ut ajunt veteres Physici. Text. 6. Cap. II.

17. Horum puta Physicorum, alius posuit aërem, ut Diogenes: alius aquam, ut Thales lib. 1. Met. c. 3. alius ignem, ut Heraclitus, alias medium inter aërem & aquam puta vaporem, ut Anaximander ibidem.

18. Qui v. plura uno fecerunt principia, illi vicissim in duas classes dispeſci possunt, quarum uni placet finitus principiorum numerus, alteri infinitus. ibid.

19. Qui finitum amplectuntur, illi aut duo statuunt, ignem scilicet & terram, ut Parmenides, ceu meminit Philosophus hoc lib. C. 5. t. 41. aut tria, ignem, aërem & aquam, aut quatuor, ignem, aërem, aquam & terram, ut Empedocles, aut plura quam quatuor, ut idem Empedocles qui quatuor Elementis addidit litem & amicitiam, ibid.

20. Econtra quibus infinitus arrisit, illi vicissim in diversas abierunt opiniones. Quidam n. ut Democritus commentus est corpora indivisibilia, quæ dicuntur atomi. Atq; hæc dum pro principijs habuit, ea ita comparata esse dixit, ut quidem secundum naturam unius essent generis; differrent tamen secundum formã & figuram ac sibi contrariarentur. Ibi.

21. Ponebat quippe in ijs tres contrarietates, unam secundum figuram, qualis est inter curvum & rectum, alteram secundum ordinem, qualis est inter prius & posterius, & tertiam secundum positionem, qualis est inter dextrum & sinistrum, superum & inferum ante & retro. Atq; hinc somniabat oriri diversitatem in rebus: quia inquebat licet principia illa unius essent nature & conditionis; nihilominus tamen ea diversitatem causari posse, prout diversimodè collocata essent & disposita.

22. Quidam, ut Anaxagoras, oppositam tenuit sententiam, quando finxit dari infinita principia, quæ sint diversi generis secundum

Naturam at infinite partes carnis ossis, &c. eaq̄ minima. De quo inferius.

Cap. 4.

23. Unde videre est hanc, quæ mota est de principiorum numero, controversiam eodem ferè modo à metaphysico proponi, ut cum quæritur an unum sit Ens, an plura, & si hoc, an finita an infinita? Text. 7.

24. Quoniam n. veteres Physici, ut docet D. Thom. Com. lib. i. Phys. Lect. 2. non cognoscebant nisi causam materialem, ita quidem ut dicerent composita duntaxat differre accidentaliter adeoq̄ principium hoc vel illud esse totam rei substantiam: idcirco quære an unum sit principium an plura, perinde est ac si quærerem an unum sit Ens an plura.

25. Ex quo porro efficitur haud omnem de principijs considerationem esse Physicam. Nam quemadmodum Geometria non est adversus eum qui principia Geometrica evertit, disputare; sed ea disputatio pertinet vel ad superiorem disciplinam cui hæc subordinata est, vel ad Metaphysicam quæ omnes reliquas continet, vel ad Dialecticam, ut quæ ἐξέτασις ἔσται πρὸς τὰς ἀπασῶν τῶν μεθόδων δεχὰς viam aperit, ut habetur l. i. Top. C. 2. ita quoq̄ acturo de principijs Physicis adversus negantem principia Physica disputandum est minime. Text. 8.

26. Ratio est in promptu: quia unum concedere principium rerum naturalium, & quidem sic unum ut illud sit immobile, est nullum concedere, quod manifestam contradictionem implicat. Nam cum principium sit alicuius aut aliquorum: certè non erit unum sed plura, ipsum nimirum principium & id cuius est principium. Ibid.

27. Et perinde est contra huiusmodi assertiones aliquid in medium asserre, ac si quis contra quamq̄ thesin improbabilem disceptare vellet, qualis erat Heracliti dicentis, duo contradictoria esse simul vera, aut illorum qui affirmabant totum Ens esse unum hominem. Text. 9.

28. Sermones n. Parmenidis & Melisi si spectemus, nihil aliud solvendum erit, quàm λόγος ἐρισκός litigiosa argumentatio, quæ falsa accipit neq̄ concludit. Quævis ratio Melisi magis sit importuna nec dubitationem tanquam apertè falsa, habeat, ut infra ostendetur. Text. 10.

29. Quod nemo miretur: ἐνὸς γὰρ δοθέντος & ἀτόπου τὰλλα συμβαίνουνο dato absurdo sequuntur plura: sic quia Melissus unum introducebat principium, ideo infinitum, & quia infinitum ideo immobile. Ibid.

30. Supponamus ergo tanquam immotum & certissimum principium,

pium, ea quæ naturâ constant vel omnia vel quedam moveri: veluti hoc per inductionem, si opus, perspicuum posset evadere. Text. 11.

Hypothesis
Physicorum
certis.

31. Simul a. ut omnia solvantur quæ in contrarium afferuntur non suaserim siquidem ea duntaxat refellenda sunt, quæ ex principijs scientiæ proprijs falsò concludunt. Sic solvendus est tetragonismus sive quadratura circuli quæ fit secundum Brissonem per sectiones circuli; Antiphontis v. non item. Ille n. utebatur principijs Geometriæ proprijs: hic v. supponebat principium quod Geometriæ erat contrarium, quale erat arcus circulorum non semper posse dividi in duo media. De quo vide plura apud Thomam de Aquin. d. 1.

32. Verum n. verò quoniam hæc consideratio in se habet Philosophiã, insuper quandoq; contingit, ut Parmenides & Meliss. naturalia immisceant: fortassis è re erit paululum de his differere. Text. 12.

33. Atque hinc respondere possumus ad illorum objectionem qui dicunt Parmenidem & Melissum minimè fuisse locutum de Naturali principio sed hyperphysico quale est Deus: præterquam n. quod hoc nondum satis ostensum, certum tamen est quod res naturales cum non naturalibus confuderint. Ut taceam Parmenidem librum suum inscripsisse de Natura, sicut Melissus de Ortu & Interitu. Et quoniam scripta ista interierunt, producant tale quid, quod firmum sit è locis quæ apud Arist. & alios allegantur. Vide lib. 1. Metaph. C 5.

Obj. cum
sol. triplici

34. Sed hisce missis accommodatissimum erit in initio videre quot nam modis dicatur Ens: facit enim hoc ad præsens institutum cum pars adversa asserat omnia esse Ens unum. Text. 13.

35. Certum a. est Ens tot modis dici quot sunt summa rerum genera, puta substantia, quantum, quale, & c. Unde tale extruimus argumentum: Ens illud unum aut est substantia cum accidentibus, aut solum accidens aut sola substantia: Atqui horum nullum est. E. Ens istud unum planè nequit subsistere. Text. 14.

36. Minor probatur & quidè quoad primum membrum, quia substantia & accidentia sunt simpliciter multa. Quo ad secundum, quia nullum accidens est sine substantia, quod si a. substantiam admiseris, protinus Entia multiplicabis. Quoad tertium: quia si est sola substantia, qui Ens illud dicetur finitum vel infinitum? Finitum n. & infinitum per se soli quantitati conveniunt, substantiæ a. per accidens: quod si autem intellexerunt hujusmodi, duo erunt Entia, non unum. Text. 15.

D 3.

37. Non

37. Non intelligimus hic finitum & infinitum virtutis aut perfectionis; sed molis sive quantitatis. Illud enim eos intellexisse unde probabis?

38. Praeterea quoniam ipsum unum multis dicitur modis perinde ut Ens: considerandum est quo modo univrsum hoc dicatur unum, an continuitate, ut tabula, an indivisibilitate, ut punctum, an ratione sive definitione & materia, ut vinum & temetum, gladius & ensis. Text. 16.

39. Sed nullum horum: quia si illud unum est continuum, multa erit potestate, cum continuum in infinitum sit divisibile quale tamen non concedent esse Ens unum. Text. 17.

40. Hoc n. Ens non solum multa est propter partes; verum etiam propter diversitatem quae est inter totum & partes. Dubitatio namq; est utrum totum & pars sint unum an plura: Ac licet praesentis loci non sit de hoc disputare, utile tamen est considerare utrum totum & pars unum sint vel multa, & quomodo sint unum vel multa. Quod v. non sint unum inde patet, quia hoc vel maxime fieret propterea, quod in divisibilia essent, & inseparata: atqui hoc non, quia alias partes essent idem inter se, ideo quod ead. sunt uni tertio. Ibid.

41. Intelligenda a. sunt haec de partibus singulis; non vero de omnibus conjunctim sumtis, quo de in Metaphysicis uberius agitur.

42. Nec indivisibilitate dici possunt omnia esse unum: nam cum punctum potius sit terminus finiti & infiniti quam ipsum finitum & infinitum: qua ratione dicetur Ens finitum & infinitum? Text. 18.

43. Deniq; si dixerint definitione omnia esse unum, bone Deus? eadem erit ratio boni & mali (malum quippe est non bonum) adeoq; duo contradictoria (quod supra innuebamus) simul erunt vera, item duo disparata homo & equus erunt idem, praeterea idem erit disputare an omnia sint Ens an omnia nihil, & consequenter quantum quale & reliqua summa genera coincident, quod absurdissimum. Text. 19.

44. Sed nec posteri ut Licophron sapientiores fuere, quando enunciationibus hisce Socrates est albus, Socrates est Philosophus, exemerunt copulam, ut vocant quidam, EST, dicentes, Socrates albus, Socrates Philosophus, aut reformabant orationem commutantes nomen in verbum, hoc pacto, Socrates albet, Socrates philosophatur. Text. 20.

45. Ridendi namq; sunt vel propterea, quia inconveniens non est id quod

id quod est unum aliquo modo esse plura veluti Socrates, & album sunt unum subjecto; ratione tamen differunt, item continuum aliquod actu unum est; potestate autem plura. Text. 21.

46. Atq; hinc manifestum est fieri non posse, ut ea quae sunt, unum sint: quemadmodum nec difficile est eorum argumenta solvere, cum primis quod Melissus attinet, cujus ratio magis importuna, tum quia in materia, tum quia in forma peccat. Text. 22. Cap. III.

47. Sic n. sonat illa: si aliquid est factum, habet principium: Atqui hoc totum universum non est factum. E. non habet principium & per consequens nec finem. Ulterius: Quodcunq; nec principium habet nec finem, illud est Ens unum & infinitum; atqui hoc universum tale est. E. Text. 23.

48. Verum quod prior ratiocinatio quoad formam peccet vel tyro Logicae novit, siquidem in syllog. hypotheticis à remotione antecedentis ad remotionem consequ. non valet consequentia nisi in terminis convertibilibus, veluti non sequitur, si homo est, animal est, sed homo non est. E. animal non est.

49. Quod v. termini isti converti nequeant, inde perspicuum est, quia aliàs quoq; vera esset haec propositio, quicquid habet principium & finem (subintellige magnitudinis) illud est factum & quidem generatione substantiali: subsumi n. potest, coelum habet principium & finem. E. est factum generatione substantiali: rursus si conversa fuerit atq; hunc in modum formata, quicquid est factum, habet principium & finem magnitudinis, subsumi potest, atqui Angeli sunt facti. E. habent principium & finem magnitudinis. Conclusio utrobique falsa est propter majorem falsam.

50. Praeterea Melissus non potest rationem reddere cur Ens illud infinitum oporteat esse immobile? Nam si causa aliqua subest, ea erit proculdubio, quia omnem locum occupat & consequenter de loco in locum moveri non potest. Verum quod hoc fallat, probari potest allatâ instantiâ de aqua, quae in vase moveri potest ac circumvolvi, ita ut vas ejus locus maneat: Deinde 2. totus glob. caelestis movetur circulariter & quid $\kappa\tau$ τόπον secundum locum; haud tamen ipsum locum mutat. Ad haec 3. posito quod Ens illud infinitâ localiter moveri nequeat: qua ratione negabitur illud alterari posse? Alteratio autem est motus. Text. 24.

51. Ad summam: quicquid dictum fuerit de Ente uno, infinito & immobili: impossibile tamen est omnia esse unum $\tau\omega$ λόγῳ ratione, formâ

forma & specie. Nam licet homo & equus eiusdem sint materiae: certum tamen, quod homo sit forma ac specie diversum quid ab equo. Sic contraria in materia conveniunt, aut album & nigrum specie differre, nemo sane mentis inficiabitur. Ibid.

Rationes
Parm. &
solut.

Ab aliis aliter forma-
tur; sed ut ratio con-
cludendi sit evidens,
melius for-
mari non potest.

In quo Parmenides
deceptus sit.

52. Sed & Parmenidis rationes eiusdem sunt monetae. Falsa n. assumit quando putat Ens simpliciter & uno modo dici; cum tamen multifariam accipiatur, ut cum sic ratiocinatur: quicquid est praeter Ens unum est non Ens ad eoq; nihil; atqui non album est praeter Ens unum. E. non album est non Ens ad eoq; nihil, sive ut clarius proponam: Quicquid est Ens unum illud non admittit plura sed reliqua omnia sunt non Ens & nihil: atqui album est unum. E. Verum negamus maiorem & minorem, quia demus esse Ens unum & reliqua praeter illud esse non Entia; nihilominus tamen illud Ens unum stare potest cum pluribus. Ratio est, quia unum genere non excludit pluralitatem specierum & individuorum, ut homo tanquam species non negat hunc vel illum hominem. Text. 25.

53. Similiter minorem quod attinet, quoniam aliud est albedo, aliud subiectum, albedinis: igitur non est unum Ens sed plura. Eo procul dubio deceptus est Parmenides quod existimavit ea quae subiecto unum sunt, esse prorsus idem, quod falsum. Ibid.

54. Ceterum contra Parmenidis opinionem sic libet procedere: Ens illud unum aut substantia est aut accidens: atqui neutrum. E. Minor probatur, quia si accidens, substantia erit non Ens, quia est praeter illud Ens: si substantia, album erit simul Ens & non Ens, quia in albo duo occurrunt albedo, quae est praeter illud Ens ex hypothesis, & subiectum albedinis quod ponitur esse substantia. Text. 26. & 27.

55. Deinde si Ens illud unum substantia est, nulla substantia praedita erit magnitudine, quod absurdum. Ratio est, quia magnitudo est aliquid praeter illud Ens, quod ex hypothesis substantia, si concesseris substantiam magnitudinis participem, dividi poterit ea in partes quae sunt plura Entia, nisi dicas (sed absurdè) substantiam corpoream è non Entibus componi. Text. 28.

56. Denique si Ens illud unum est substantia, ne sic quidem simpliciter erit Ens unum: probo quia homo. e. g. dividi potest in ea quae sunt plura secundum rationem, ut in animal tanquam genus, & rationale tanquam specificam differentiam. Text. 29.

57. Sed

57. Sed dices forsan cum Parmenide, partes illas hominis esse accidentia? Verum bene se res habet: Præmittimus n. hæc duas hypothesas, quarum una, accidens aliud commune esse, quod pluribus inesse potest, ut album, aliud proprium quod non nisi uni subjecto inest, ut risibile homini; alterum, quæ sumuntur in totius ut hominis definitione essentiali, illa vicissim non sumi in definitione partium per quas totum definiatur, veluti homo quidem definitur per animal & rationale, sed non animal & rationale per hominem. Ibid.

58. Una sic: si partes illæ sunt accidentia propria, tunc homo sumi nequit in eorum definitione, quod falsum: si communia, plura erunt animalia rationalia quam homo, quod etiam falsum. Ibid.

59. Ut taceamus, si constituentia hominem sunt accidentia aliq̄z inhererent, sequetur & ipsum hominem accidens esse, aliq̄z inherere siquidem constitutum & constitutum sint ejusdem census. Text. 30.

60. Quæ cum ita sint certè Parmenides effugere non potest quænam ut affirmet totum hoc universum constare ex indivisibilibus aut Ens esse non Ens. Id quod absurdum non esse rati sunt Plato & Xenocrates. Ille quidem, quando agebat non Ens esse in Ente ut accidens in substantia: hic v. quando cum Zenone contendebat magnitudinem dividi in magnitudines individuas. Ibid.

61. Platonem eatenus excusare possumus, quatenus per non Ens intellexit accidentia, ut quæ in respectu ad substantias sunt μή ὄν & ὄν αὖ τῶν ὄντων sicuti contra substantia sunt ὄντως ὄν revera Ens: duplex enim est non Ens, unum quod simpliciter est nihil; alterum quod secundum quid est non Ens. Text. 31.

62. Ratione prioris rectè dixit illud non Ens non posse appellari Ens unum: ratione posterioris erravit existimans certum aliquod non Ens dici non posse Ens unum. Et tantum de opinionibus Parmenidis & Melissi quibus enucleandis eo diutius immorari voluimus, quo intricatius ab Arist. & eius Interpr. proponuntur. Ibid.

63. Accedamus nunc ad Physicos qui in duas classes possunt dividi. Quidam n. unum ponebant principium, videlicet unum ex tribus Elementis, igne, aëre & aqua, aut aliud diversum quid ab hisce tribus, ut quod esset igne densius & aëre rarius adeoq̄z inter ignem & aërem medium. Text. 32.

64. Ita tamen putabant unum esse principium ut crederent omnia

E

ex eo

Cap. IV.

ex eo fieri mediante rarefactione & condensatione. Sic qui aiebat ignem esse omnium rerum natural. principium, opinabatur ex eo fieri aërem per condensationem, & si adhuc major accederet condensatio, tum ex eo generari aquam. Similiter qui aquam, opinabatur ex eâ fieri aërem per rarefactionem, & si aër magis rarefieret, ignem. Ibid.

65. Cur a. beneficio raritatis & densitatis statuerint ex uno corpore natural. fieri omnia, causa, quia rarum & densum contraria sunt: jam quicquid fit, uti seq. Cap. ostendetur; illud ex contrarijs fit. Quamvis universalius loquendo pro contrarijs adhiberi possint termini excessus & defectus: omnia n. contraria habent se tanquam excessus & defectus, sed non contrâ. Ibid.

66. Atq; sic ad hanc priorem classem jure referimus Platonis dualitatem, puta magnum & parvum: conveniunt namq; in hoc quod omnes unum agnoscunt principium, licet in duobus vicissim differant, quod illi aliquod Elementorum habebant pro uno principio tanquam materiam; hic verò ideam tanquam formam seu differentiam; deinde quod illi dicebant rarum & densum esse formas; hic v. materiam. Ibid.

Emped. &
Anaxag.

67. Ad secundam classem referendi sunt illi, qui dicebant ex uno omnia fieri secretionem quadam ut Anaximander, ijg; omnes qui unum & multa ponunt principia, ut Empedocles & Anaxagoras. Persuasum n. sibi habebant, quasi in illo uno principio res omnes etiam diversissima & contraria delitescerent, & postea ex illo, si secernerentur ab eo, generarentur. Ibid.

68. Differunt a. inter se Empedocles & Anaxagoras, quia ille omnium rerum circuitum facit; hic v. semel, h. e. ille statuit mundum modo oriri, cum Elementa per amicitiam confunderentur, modo interire cum eadem per inimicitiam disturbarentur; hic verò arbitratus est mundum semel esse factum, ita tamen ut à principio omnia fuerint commixta & o v̄s sive mens, per quam Deum intellexit, nunquam discernere & distinguere desineret. Ibid.

69. Cui & illud accedit, quod hic infinitas partes similes ut carnis, ossis, & c. posuit, ille v. finitas, ipsa videl. quatuor Elementa. Ibid.

Rationes
Anaxag.

70. Quam v. ob causam infinitatem partium similarium introduxerit Anaxagoras: operæ pretium est videre. Nitebatur is principio illo Physicorum verissimo & communissimo, Ex nihilo nihil fit: unde tale formabat argumentū; Quicquid fit, aut ex nihilo fit aut ex aliquo: sed

sed non ex nihilo. E. ex aliquo & per conseq. res quæ postea generabatur, ibi fuit, aliàs non posset dici quod sit ex aliquo. T. 33.

71. Quod si quis objecisset hoc esse contra naturam generationis, quæ est mutatio substantialis: respondisset τὸ ἴπὸς ἰαὶ νί-
hil aliud esse quam τὸ ἀλλοίωσθαι juxta illos versus:

Erant simul omnia, &

Fieri tale, est variari.

Text. 33.

72. Præterea movebatur eo, quod contraria ex se fiant: unde talis ratiocinatio, si contraria fiunt ex se invicem, inerunt: atqui prius est. E. & posterius. Text. 34.

73. Quod si quis dixisset, si insunt, utiq; sensu percipi queunt: protinus subjecisset committi Elementum accidentis, siquidem propter parvitatem molis sive exilitatem partium non cernuntur.

74. Nec illud sibi obstare putabat, quando quis dicebat: si in quolibet res sunt diversissimæ utiq; perinde erit sive aqua vocetur caro sive os sive sanguis; respondebat n. aquam propterea appellari aquam quod pleræq; partes essent aqueæ substantiæ, non quasi de cæteris nihil admistum haberent. Ibid.

75. Verum contra sententiam hanc absurdam sic procedere possumus. I. Quæcunq; sunt infinita, illorum non est scientia: atqui in corpore naturali particulae sunt infinitæ juxta Anaxagoram. E. illarum non est scientia, & per conseq. Physica Anaxagoræ tota collabascet. Text. 35.

Rationes
contra
Anaxag.

76. II. Si pars potest esse sub quantavis magnitudine adeoq; in infinitum augeri & minui, utiq; & ipsum totum ita comparatum erit: Atqui posterius hoc inconveniens est, quia animalia, plantæ, &c. terminatæ sunt quætitatis. E. & prius. T. 36.

77. III. Omne corpus finitum consumitur à finito: atqui os, caro, &c. sunt corpora finita. E. & per conseq. non erunt omnia in omnibus, nec quodvis fiet è quolibet. Nam si caro ex aqua separata fuerit & rursus alia caro, semper minor caro separabitur, propterea quia & aqua minor facta est. Et sic tandem pervenietur ad carnem minimam, qua minor separari nequeat. Quod si a. ad secretionem ulteriorem perveniri potest, sequetur quod in re finita insint partes secundum magnitudinem finitæ & æquales; sed secundum multitudinem infinitæ & inæquales quod impossibile. Ratio est, quia cum re minimâ minor dari nequeat, oēs partes ut æquales sint necesse est. Text. 37.

78. IV. Si

600
1
K 600
78. IV. Si omne corpus aliquo ablato fit minus, datâ parte minimâ, amplius secerni non potest, atqui prius est. E. Ratio majoris est, quia contradictionem implicat dari partem minimam & ab eâ adhuc minorem secerni posse. Text. 38.


79. Deniq; V. Si dantur infinita corpora tanquam principia, dabitur quoq; infinita caro sanguis, &c. atqui consequens absurdum est. E. & antecedens. Ratio majoris est, quia si quodvis sit ex quovis, ut vult Anaxagoras, utiq; in carne erit sanguis, aqua, &c. quod nihil aliud quàm infinita esse in infinitis infinities. Imò si hoc ita esset, tunc quæ separata sunt, essent finita & infinita: finita quatenus separata sunt & terminis suis definiuntur; infinita, quatenus caro. e. g. sanguis, in quibus reliqua, infinita sunt. Ibid.

80. Sed nec omni ex parte scitè locutus est Anaxagoras, quando dixit nunquam secretum iri, h. e. nunquam omnium rerum secretionem fieri. Nam cum mens illa statim ab initio, quo omnia in omnibus mista sunt, aggressa fuerit separationem & tamen secundum anaxag. omnium rerum separatio impossibilis est, sequetur mentem illam ineptam esse, ut quæ illa conatur effectum dare, quæ fieri nequeunt. Text. 39.

81. Quamvis ea ex parte rectè dixit, non omnium, h. e. accidentium ut quæ sine subjecto esse nequeunt, separationem fieri posse. Ibid.

82. Est v. & illud in Anaxag. reprehendendum, quod putavit generationem rerum duntaxat viri ex congregatione partium similarium, eum ad modum quo lutum videmus augeri pluribus partib. lutosis appositis, cum tamen quâdoq; fiat è partibus quæ diverse sunt rationis, ut domus non solum è lateribus sed etiam è lignis, lapidibus, &c. Text. 40.


83. Tantum de ὁμοιομεγείᾳ seu ἰσότητι Anaxagore ut & de aliorum Veterum circa principia opinionibus dictum esto. Quod tantò nobis sit gratius, quantò illud plus ad verorum principiorum cognitionem conducit.



COROLLARIA.

1. Cœlum non est animatum anima propriè sic dicta.
2. Cœlum licet sit inanimatum; haud tamen quovis vermiculo ut pulice, vilius est.
3. Astra agunt quidem in hæc inferiora; sed non in voluntatem hominum.

F I N I S.



B.I.G.

Farbkarte #13



ΑΤΙΟΝΥΜ
ΑΤΙCΑΡΥΜ
ΡΤΙΑ
Ε

CIPPIIS
NATVRA-

DVM SENTEN-
p.1.2.3.& 4, lib.1.Physf.

am
ademia Jenensi
ESIDE

LE WOLFFIO
rePublico.

ublicè tuebitur
EORGIVS RUD
ONENSIS.

tutinis in ἀνεγιάσθ majori.

Saturn.in init.
tiam vetustatis modo nostris non ob-
r verbis renoscas, prout quaeq; se vel
erint.

N Æ
annes VVeidner.

lo cxviii.

1045
2/10/519
K 60

3

